

**www.e-rara.ch**

**Biblia Sacra Hebraice, Chaldaice, Graece & Latine**

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiae, 1569-1573**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Bibl 27-34

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-77665>

Benedicti Ariae Montani Hispalensis in sacrorum bibliorum quadrilinguam regiam editionem,  
de divinae scripturae dignitate, linguarum usu & catholici regis consilio, praefatio.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

BENEDICTI ARIÆ MONTANI  
HISPALENSIS IN SACRORVM  
BIBLIORVM QVADRILINGVIVM  
REGIAM EDITIONEM,

De diuinæ scripturæ dignitate, linguarum vsu &  
Catholici Regis consilio,

P R Æ F A T I O.



**I**NTER omnes cogitationum, consiliorum, actionum, curarum, studiorumque rationes, quibus humanus animus in hac mortali vita teneri atque exerceri potest, nullum genus est quod vel naturæ ipsius magis proprium & consentaneum, vel vtile ac necessarium magis, vel ad vitam instituendam commodius aptiusque sit, quàm certa & clara sui ipsius cognitio, nec nõ vera ac perspicua originis propriæ, & causæ, quamobrẽ editus natúsq. fuerit, notitia, ac demũ omnium eorum, quæ vel ad ipsius dignitatem & amplitudinẽ facere, vel ad extremam felicitatem conducere ac pertinere possunt, exacta, optimèque subducta ratio. Omnibus enim naturis rerum quæ in mundo conditæ conspiciuntur, finem quendam, & certum ac præscriptum quoddam negotii actionisque genus constitutũ esse constat. quod vbi rectè excultum præstitumque fuerit, suis vniuscuiusque partibus, dignitati ac perfectioni satisfactum esse existimatur. Ad huiusmodi autem rerum defini-  
Iob.  
tionem exempla illa pertinent, in quibus aues ad volatũ, equi  
Pf. 113.  
ad cursũ, pisces ad frequentãdas aquas, dracones, & cete grandia,  
ad percurrendum mare, nata esse dicuntur: atque, vt altius etiam  
spectemus, nubes ad imbuendã imbribus terram, Solisq. tempe-  
randos æstus, Sol, Luna atque astra ad dierum noctiũmq. vicissi-  
Gene. 1.  
tudines cõstituendas, & ad gubernanda, fouenda, temperandãq.  
Pf. 113.  
ea omnia quæ sub cælo sunt corpora, atque adeò ad orbem terra-

## P R A E F A T I O.

rum perlustrandum constituta esse, vel usu ipso comprobantur. Quanquam verò non omnia hæc, quæ cōmemorauimus, rerū genera, munerū & officiorum suorū perfectam cognitionem sortita sunt, nihilominus tamen impositas sibi à natura partes, adeò apto & certo cursu, adeò decenti atque eleganti dexteritate singula trāsigunt, vt perfectissimæ cuiusdam cognitionis ac perspiciētix rationem præeuntem sequi videantur: atque illud certè constanti & definita agendi ratione probent, sapientissimam & prouidentissimam mentem quandam principem esse, cuius nutū pene intueri, & arbitrium reuereri videantur, consiliūmq. tantò aptius ac diligentius exequantur singula, quantò digniores partes altiorēque naturæ locum sortita sunt. Etenim si, à primis rerum elemētis initio ducto, omnia earum naturarum, quæ ex illis constant, loca vsque ad cælum, cælorumque ignes, atque luces percurramus, nullum profectò reperietur genus, quod, tametsi sensus & cognitionis participem naturam non obtineat, iis tamen qui id sentire & cognoscere possunt, non manifestè arguat & probet, quicquid ab ipsis fit, non alienū esse à ratione, ordine & consilio cuiusdam omnium rerum gubernatricis mentis, quam Deum appellamus: cuius numen omnia assiduo, apto, & perpetuo obsequio reuerentur, efficientia obseruant, ac pro voce & eloquio, muneribus suis certissimè & aptissimè exequendis, laudant: sicut scriptum est: Benedicite omnia opera Domini, Domino: laudate & superexaltate eum in secula.

OMNIVM autem rerum quæ sub primo cælo conditæ conspiciuntur, hominem præstantissimā naturam sortitum esse, ipsa rationum, caussarum, efficientiarum & pulchritudinis singulorū generū, sapienter obseruata & collata dignitas apertissimè comprobant. cæterarum quippe naturæ formarum singulæ, vniuersi mundi partem aliquam obtinere & tueri, nonnullaque cum aliis cognatione & similitudine coniunctæ, rursus etiam diuisæ & propria muneris & actionis virtute inter se distinctæ obseruantur. Vna autem hominis natura cæterarum perfectionibus omnium,  
dignitate,

## P R A E F A T I O.

dignitate, pulchritudine, virtute, habilitate, & aptitudine adeò antecellit, vt nihil egregii in cæteris inueniatur, cuius ille virtutem & viuam imaginem magna ex parte in se agnoscendam non ostendat: neque inferiores tantum species rerum exprimat, sed mentis vi & rationis, ( cuius est præcipuè particeps ) ipsum optimum atq. maximum Deum, cognatione ferè quadam, aut certè illustrissimam & præstantissimam similitudine attingat, quandamq. in se vniuersi veluti summam vel reipsa habeat, vel specie referat. Quamobrem ab iis qui sapienti iudicio rerum dignitatem atque virtutem aestimauerunt, homo ipse *μικρόκοσμος* est appellatus. Hinc autem illud apertè consequi videtur, vt cum omnes aliæ res munus aliquod, in quo versentur, quòdque efficiant, atque proprium & certum finem, quò peruenire contendunt, propositum habeant, eoque præstantiorem, quò vnaquæque digniores naturæ partes fuerit sortita; necesse sit vt homini quoque suus sit finis constitutus, quò propriarum actionum, totiùsque vitæ dirigatur vsus, & suum etiam negotii & muneris præcipuè obeundi genus definitum; idque adeo pro naturæ ac dignitatis suæ ratione, cæterorum infra se omnium præstantissimum statuatur.

QVONIAM verò in hominis natura singulare ac præcipuam quandam virtutem, qua cætera omnia animantium genera carent, eamq. vltra agendi facultatem ad consequendum proprium finem vim quandam esse constat, qua finis ipse, atque eæ res, quæ ad eum maximè faciunt, cognosci & optari; eæ etiam quæ nõ aptæ, aut incòmodæ iudicantur, dignosci, vitari, ac reiici possunt; cumque huiusmodi in ipso virtus vt præstantissima, purissima, atq. efficacissima, ita præcipuè propria sit: consentaneum maximè fuerit, omnes vitæ actionumque rationes, huius tantæ virtutis, vbi facultas arbitriumq. per ætatem accesserit, vsu exercitationeq. instituere, atque hoc modo, tam admirabili dignitati respondere, sibi que constare, ac nobili & probato cursu ad optatum exitum peruenire. Itaque homini non solum iter suum diligenter facere, sed vnde initium, quæ viæ ratio, quis modus, & quis tandem sit finis, quæ-

nam

## P R A E F A T I O.

nam bene confecti itineris gloria constet, imprimis cognoscere, exploratúmque habere maximè conuenit. Verùm enim uerò communis cuiusdam humanæ naturæ hostis & aduersarii infensissimi callida excogitatáque malitia & opera accidit, ut hæc tam propria & necessaria, quam indicauimus, in hominibus notitia perturbata fuerit; ut, postquam homo de proprio illustri & celso statu conuulsus, deque adiunctis ultra naturalem facultatem ex diuina gratia magnarum dotum præfidiis deiectus in eum locum, quem nunc tenet, miserè deuenit, si tantùm homo & nullo præterea maiori auxilio instructus, nullo superiori duce usus, nulla maiori luce illustratus fuerit, quamuis multum cogitet, coniectet, atque exerceatur, nunquam tamen tantum cogitatione & notitia consequatur, ut maxima & copiosissima pars earum rerum quas cognouerit & explorauerit, cum minima earum, quas ignorat, portione conferri compararique possit (ut de aliarum etiam virtutum damno in illa prima ruina accepto nihil impræsentiarum dicamus) ita ut post multum studium, multamque operam adhibitam, tamen in plurimis rebus atque rationibus, quas sibi notas exploratásque esse arbitretur, falli, labi, atque errare tandem deprehendatur. Quanquã enim humana mens veri inueniendi & cognoscendi auida & capax natura sua, atque adeò inuenti amantissima sit: quòd tamen ad illius inuentionem ratiocinatione plerunque utatur; sæpenumero accidit ex permixta boni & mali, qua præditus est, cognitione, atque ex communis aduersarii artibus & dolis, ut aut in ipso ratiocinandi usu, vel malè explicandis initiis, vel perperã ineunda ratione, decipiatur. Aliquando enim falsa pro ueris, incerta pro certis admittuntur, ex quibus nihil uerum, nihil uerè certum deduci queat: & tamen si maximè certa atque explorata principia sint; tamen quòd cum propositi & quæsiti generis ratione non cohæreant, totam argumentationem labefactant. Quòd si hanc cognitionis primam lucem turbatam & obscuratam esse contingat, cæteram omnem actionem & uitæ hinc instituendam uiam uel peruersam, uel certè ancipitem, atque dubiam fore necesse

## P R A E F A T I O.

• cesse est: maximè quòd certa quædam vis grauiſſimi ponderis in hominum membris ſentiatur, quæ in deterioreſ plerunque partem agentes impellat, atque ſpreto mentis iudicio & conſilio ad ſenſum & appetitus obſequium trahat, & quæ maximo conatu ſuſcipi, ſummòque ſtudio curari atque effici oportuerat, ea vel negligere, vel leuiſſimè curare; quæ verò cõtemni, deſpici, ac vitari par fuerat, ea diligentiffimè & ſtudioſiſſimè capeſſere atq. appoſitiſſimè agere & conficere penè cogat, adeò vt vnã hãc ex grauiſſimis & moleſtiſſimis hominũ miſeriis D. Paulus apertè docuerit.

Q V A M quidem ob rem nonnulli olim magno iudicio præditi viri cùm intellexiſſent quantum ad actionum humanarum rectè iacienda fundamenta, atque abſoluenda etiam incepta referret, à neceſſariarum rerum notitia, atque ipſius hominis originis & finis cõſtitutione rationem inſtituere, ad ſuam vtilitatem aliorumque doctrinam, quantum aſidua meditatione & contẽto ſtudio inuenire in hoc genere potuerũt, inueſtigare & cõſequi conati ſunt; quæ verò inuenta ab ipſis eſſent, tum ſermone cũ ſuæ ætatis hominibus, tum ſcriptis etiam, cum poſteritate communi-carunt, multaque reliquerunt præcepta atque inſtituta, non ſolum ad rerum cauſarumq. cognitionẽ, ſed ad rectam ſtudiorum & officiorum inſtitutionem capiendam, certumq. ſtatuendum finem, quem ipſi beatitatem vel felicitatẽ appellauêre. Atque ex hoc loco nata eſt illa humanæ vitæ inſtitutrix diſciplinæ pars, quæ Philoſophia dicitur; atque ea, triplici partitione, in naturæ, morum, diuinarumque rerum contemplationem diducitur.

A T V E R O quòd hi quos indicauimus auctores homines, hoc eſt eadem cũ cæteris, poſt naturæ lapſum, imbecillitatis & ignorantia cõditione, fuere, eundemq. verorum bonorum in omni genere detrectatorem ſortiti ſunt cõmunem illũ humano generi inimicũ, (cuius ea mens, iſq. animus perpetuò fuit, vt iis maiori ſtudio, maioriq. contentione, callidiorẽ dolo ac fraude inſidietur, qui quidẽ à vulgo ſeparari, cæterisq. hominibus bonorũ ſtudio & vſu anteire conantur;) his, inquã, de cauſis effectum fuiſſe depre-

## P R A E F A T I O.

deprehensum est, vt pleriq. omnes tum in hominis ipsius natura, & origine, ac finibus cognoscendis, tum in vitæ præceptis, & institutis tradendis à certa veritatis via non leuiter aberrauerint, ac pro priuati vel consilii, vel studii ratione suos vnusquisque bonorum fines variè statuerit; illis autem, ita in varias diuersasque sectas & familias diductis, accidit, vt veritatis inueniendæ semitæ tunc fortasse magis, quàm antea, obscuræ, turbatæ, incertæque redditæ sint: deinde verò plerique sic in hoc disquirendi genere priores sunt secuti, vt iam non tam sapientiæ, quàm contentionis, & obtrectationis, priuatæque gloriæ studio aliorum excogitata & inuenta opprimerent & perturbarent. Atque hoc vnum ex callidissimis & optatissimis aduersarii nostri commentis fuit, qui huiusmodi propriæ sententiæ in hominibus cognito studio vsus, discordias & contentiones induxit, quibus ea etiam impediret & opprimeret, quæ communi, concordique studio & opera in cognoscendæ veritatis ratione inueniri potuissent: quæ tametsi nec plurima, nec valde etiam exacta fortasse fuissent; iis tamen, quæ inuenta sunt, plura & meliora experiri contigisset.

Q V A N Q V A M verò nonnulli ex illis minus etiam quàm cæteri aberrantes, in veri inueniendi studio tempus operamque non malè posuisse, meliusque cæteris inuenta iudicasse, atq. morum, officiorumque humanorum commoda præcepta tradidisse videantur: tamen in maximarum & utilissimarum rerum inuentione ac definitione vel nimium à veritate deuiare, vel quò intenderant, longissimo interuallo non peruenerunt: itaque parum etiã isti suis laboribus attulere adiumenti ad eam rem, quam hominis natura maximè requirebat, hoc est ad propriam originem, certumque finem cognoscendum, atque actiones, studiæque sua certis rationibus ad propositam sibi metam exoptatamque beatitudinem referenda. Etenim in iis scriptis, quæ vel huiusmodi auctoribus edita extant, vel aliis lecta referuntur, manifestò apparet, quanta naturæ atque originis hominum, eorumque auctoris & conditoris, & caussarum mundi primarum ignoratio fuerit, quàm parum

aut

## P R A E F A T I O.

aut potius nihil prorsus de animorum natura & dignitate ab iis cog-  
 nitū. Quis enim in illorū scriptis hoc non videt, nimirum qua ra-  
 tione omnino latens obscuraq. humanæ infirmitatis, imperfectio-  
 nis, siue, vt ita dicamus, nequitiae causa est, eadem quoq. certū ac  
 verū huiusmodi vitii remediū non solūm nō adhibitum, sed neq.  
 vel ab ipsis sapiētissimis ac perspicacissimi ingenii hominibus in-  
 uentū, nec excogitatum fuisse: vt etiam obscure, ieiunè, & ambi-  
 guè de animorū immortalitate disputatū sit? adeò vt maxima hu-  
 iuscemodi rerum & argumentorū pars, ab iis, qui acutissimi, sub-  
 tilissimiq. habiti fuere, vel sublata omnino atq. negata, vel indi-  
 gnissimè tractata fuerit. quanuis enim illorū, in hoc genere, sentē-  
 tias defendere, affirmare atq. exponere nōnulli ex iis, qui eorū se-  
 ctas sequebātur, conati postea sint: illo tamē labore & studio pror-  
 sus inutili, quid, obsecro, aliud præstiterūt, quàm vt à magistris fal-  
 sò tradita, suis suffragiis obscure, insulse, ineptè ac ambiguè con-  
 firmarent? Iam verò de corporū resurrectione quis vnquā ex istis  
 quicquam, non dicam, affirmavit, sed vel somniauit, vel emen-  
 dicata aliqua voce significauit? Profectò, si humanorum ingenio-  
 rum inuenta, monumentaque à principio repetamus, diligentif-  
 simèque euoluamus, nihil certum exploratūque magis ex diu-  
 turna lectione & interpretatione emerget, quàm vt intelligamus, <sup>Plato.</sup>  
 veritatem plurimis & maximi momenti rebus, vel humanæ men- <sup>Lucian. de veri-  
tate.</sup>  
 tis imbecillitate, vel aduersarii opera, vel indagatorum ambitione  
 & contentione, occultatā; in cæteris verò vel obscuratā & celatā  
 fuisse, vel rarissimè nudā & simplicem apparuisse: quā si nonnun-  
 quam extitisse quibusdam in locis concedamus; tamē varia & fal-  
 laci, inani & ambigua fabularū specie inuolutam, vel tantis quæ-  
 stionū, argumentationū & artificiorū difficultatibus implicitā, vt  
 non magis ferè prodesse ita traditā, quàm omnino desideratā affir-  
 mare possimus. Hac itaq. ratione, quarum rerum cognitio planè  
 erat necessaria, earum, inquam, cognoscendarum via hominibus  
 fermè occlusa fuerat, rursusq. mille errorum semitæ iam patebāt,  
 quibus alii aliter ingressi proprium exitium miserè subibant.

\*

V E R V M

## P R A E F A T I O.

V E R V M enim uerò benignissimus & clementissimus Deus, qui hominum genus maximi boni atque honoris causa à se ultro creatum atq. editum, eiusdem misericordiae & propositi constantia prouehere, amplificare & beare destinarat, magna ad eam rem atq. abdita consilia sapientissimè à se inita, quoad rem totã perfecit, suis temporibus est executus: ex quibus vnum illud fuit, vt, qua tempestate vera diuinarum humanarumq. rerum cognitio, maxima errorum, fabularum & idololatriæ confusione, & obscurissima caligine detentis hominũ mentibus, tegebatur, clarissima & suauissima verbi sui lux, fidelissimorum ministrorum operæ ac diligentiae credita, tandem mundo illucesceret, eademque propria voce hominibus clarissimè audita, miraculis, portentis, *Heb. 2.* signis, & Spiritu sancti varia distributione, ac demum grauissimis in obrectatores & contumaces animaduersionibus comprobata confirmaretur.

D I V I N V M hoc in homines beneficium adeò magnum, adeòq. admirabile esse intelligimus, vt si pro dignitate aestimare ac prædicare velimus, ultra præfationis modũ ad immensum conscribendum librum transire cogamur: nec tamen multo tempore, magno labore, omnibusq. ingenii consumptis viribus vel minimã quidem eius laudum partem attingere possimus. Siquidẽ nemo hominum adeò celeri & exercitata lingua est, vt ea excipere atque explicare valeat, quæ de diuini verbi dignitate atque usu cogitare humana potest mens: nemo præterea tantũ mente atq. ingenio pollet, vt huius tantæ rei magnitudinẽ atque præstantiam, non dicam consequi & exæquare, sed assequi cogitatione possit.

H O C enim sacrum verbum à diuinæ sapientiæ consilio & auctoritate profectum, veritas ipsa est, quæ breuibus librorũ voluminibus, inexhaustos diuinarum & humanarũ rerum cognitionis thesauros continet, in quibus, quæ hominibus & cognitu dignissima & utilis. facillimãq. sunt, & quædam maximi etiã momenti, quæ prouectioribus & sanctioribus aperiri solẽt, mysteria continentur. Hæc lux est quæ humanã illustrans mentẽ, omniũ necessariorum rerum

## P R A E F A T I O.

rerum veritatem docet: hæc animos ad difficile virtutis iter strenuè ac studiosè capessendum incitat atque accendit: hæc ad doctrinarum, disciplinarum, atque artium omnium rationes examinandas, veràque à falsis, & honesta à turpibus discernenda, iudicium illustrat & informat. Hoc etiam verbum fundamentum iacit veritatis, & certitudinis earum omnium rerum quas humana mens, confingere rectè potest. Hoc demum rationum omnium, quas hominibus subductas esse oporteat & expediat, integram summam præfinit. Nam quid mundus, quid homines, quod eorum initium, cuiusmodi natura & partes, quis omnium auctor ac moderator, quæ nam causa sit quamobrè editi fuerint, quis vitæ finis, quis vsus ac modus, quæ veri boni inueniendi ratio, & quæ eius consequendi & obtinendi via certissima sit, apertè docet: errorum præterea & deceptionis incommodorumque pericula & discrimina quàm multa & varia sint, commonet: quo auctore illà, quibus artibus, viribus & conatu creentur, significat. Præterea malorum omnium expulsores, & bonorum auctorem Deum Christo filio eius pontifice & conciliatore ostendit, ac totum humanæ salutis, tum ab ipso afferendæ, tum hominibus ipsis obtinendæ consilium negotiumque exponit. Denique tum breues definitiones, tum longas & apertas explicationes; adhæc viarum atque semitarum, quas in omni vitæ parte rectè obeunda maximè nosse, inire expediat ac tenere, declarat: præterea difficultatum, incommoditatum, & offensionum ac detrimentorum, quæ accidere possent, omnium causas; qua ratione euitari, effugi vel corrigi ea possint, qua in omni tēpestate & procella arte instrui deceat; quæ in toto vitæ curriculo modum tenere; quæ signa & præcepta obseruare oporteat, donec tutus & tranquillus teneatur portus, apertè demonstrat. Summas profectò & diuinas laudes, vario & multiplici argumentorum genere refertas, huius sacrosancti verbi legitimi, & à Spiritu sancto comprobati, ministri ac interpretes colligere diligenter sunt conati, quas tamen oratione complecti non potuerunt, vt & res ipsa docuit, & ipsi vltro confessi sunt.

## P R A E F A T I O.

At verò omnes ingenii & animi vires in eam rem direxerūt, vt huius diuini verbi vtilissimum, & ad vitam omnem instituendam atque felicitatem inueniendam opportunissimum studium mortalibus commendarent.

**D**VAE autem verbi huius partes communi & notissimo diuisionis vsu habētur ab vno eodēmq. diuino spiritu, vnico cōsilio, hoc est, humanæ salutis causa profectæ; pro temporū verò ac ministrorū rationibus, & efficientia, atq. vsu distinctæ. quarū alterā Vetus, alterā Nouū testamentū dicimus. Illa legem cōplectitur, quam scriptā vocant, cum vaticiniis, & expositionibus, cūmq. alterius partis, hoc est, noui testamenti prophetiis quæ Christum illius ministrum prædicant: Hæc legem, quam gratiæ appellamus, Euangelio & cæteris, ex eo deductis, voluminibus explicatam demonstrat. Altera lucerna est, quæ mortalium pedibus adhibita, semitas vitæ illustrat, & ad clariorem expectandā lucē excitat. Altera lumē est etiam ad mentes interius illustrandas aptissimum & cōmodissimū, quo lumine clarius ea omnia, quæ maximè hominibus nosse expedit, ipsis innotescunt, in quos expeditiora Spiritus sancti dona promissa cōferuntur, cuius efficiētia vtriusq. testamēti mysteria cognosci, ac re ipsa cōprobari possunt, propter egregiā quandam virtutē, quā in seipsis ex diuino beneficio experiri fideles noui testamēti cultores possunt, qui quidē id in cordibus conscriptū agnoscūt, quod antea lapidibus incisum legebāt. Ex quo fit, vt magis inflammentur, vehementiorique teneantur studio earum rerum quas melius iam norunt, & beneficii, quod à diuino hoc verbo acceperūt, magnitudinem apertiūs intelligant.

**M**A X I M V M quidē & nullis laudibus æquandū, nullo precio æstimandū cælestis illius veteris testamēti doctrinæ, tum verbis, tum verò etiā scriptis sibi creditæ, munus veteres esse existimauerunt, idque perpetuis laudibus celebrarunt, & summopere commendarunt. Sed qui alteram partem, priori quidem illa maiorem, adepti sunt, multò maiori admiratione perpetuāq. gratulatione, diuinū verbū, totis viribus & cōtento quodā studio, celebrarunt;

vtpote

## P R A E F A T I O.

• vt pote qui non sementis tantum participes, sed messe etiam & fructibus maxime aucti euasissent. Huius admirandi beneficii verbi Dei rectae ac piæ mentis homines, concepta atque amplificata, ex diuinæ gratiæ muneribus fide, & Christi liberatoris mysteriis imbuti, ac salutis veræ animati spe, totius ætatis agendæ viam certam, concinnatamque obtinebunt, atque ad studia rectè vtiliterque sibi paranda, actionesque omnes peroptato exitu concludendas, ineundi consilii commodissima facultate vtentur. huiusmodi namque studium magnas & oportunas prudentiæ ac sapientiæ rationes suppeditat, & quid petendum, quid fugiendum sit, apertè declarat, certa quoque ac necessaria præcepta præbet, quibus in omnes partes vsus vitæ confirmari potest. Præcipuè verò id euenit, quòd diuinam gratiam atque beneuolentiam ad omne sapienter institutum opus prompto auxilio, subsidiòque conciliat; sicut in plurimis diuinorum librorum locis apertè est promissum: ex quibus ille est: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omnia quæcunque fecerit prosperabuntur. Quoniam nouit Dominus viam iustorum. Atque hæc quidem res, plurimis iisque apertissimis tam priuatè quàm publicè editis exemplis, in orbe terrarum, ac gentibus omnibus confirmata est. Scimus enim eas vel personas, vel familias, vel integras etiam Respublicas, quæ Christo, eiusque Ecclesiæ nomen dederant, atque huius verbi præceptis & institutis gubernatæ fuerant, sub diuina tutela & præsidio magnopere floruisse. contra verò florentissimas Respublicas, & antiquis & nostris seculis ab Ecclesiæ communionem ac dignitate discedentes, ob repulsum diuinum verbum grauissimis casibus intercidisse, vt Apostolus testatur: Qui per Angelos dictus est sermo, firmus factus est, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam habuit mercedis retributionem. Atque huius sacræ disciplinæ utilissimū & maxime necessariū, aptissimūq. studiū iis penes quos rerū summa est, Regibus, Principibus

Psal. 1.  
 Heb. 2.  
 Magistra-

## P R A E F A T I O.

Magistratibusque summopere commendatur; eiusdemque obseruantia & cultus in publicis & priuatis obeūdis recteq. gerendis negotiis proponitur, sicut de Israelitis regibus, quos pietatis studio atq. etiam diuinæ disciplinæ auscultatione à Christianis, superari oportet, scriptum est: Postquam autem sederit Rex in solio Deut. 17. regni sui, describet sibi Deuteronomiū Legis huius in volumine, » accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit se- » cum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere » Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, » quæ in Lege præcepta sunt. Ob huiusmodi igitur & complures a- » lias caussas, quas enumerare & referre longum sit, & ab institu- to nostro alienum, hic diuinæ doctrinæ thesaurus antiquis genti- bus & populis, quibus aliquando cognitus est, maximo in pre- cio habitus, summoque studio optatus, & summa religione ob- seruatus atque cultus; & cum iis, apud quos desiderabatur, stu- diosè ac benignè communicatus est: atque ita summa diligentia & optima fide (quoad fieri potuit) ex iis linguis, quibus primùm conscriptus ac editus fuerat, in alias pluribus gentibus familiares, ad publicam vtilitatem, fuit translatus.

N V L L V M quamuis maximum laborem, nullum vel effu- fiffimum sumptum, ad sacras literas intelligendas & cū iis qui cu- perent communicandas, non suscipiendum, sustinendum, atque impendendum, & veteres olim censuere, & ii nunc etiam cen- sent, quibus eximia ipsarum præstantia, & insignis fructus, qui ex iis percipitur, cognitus ac perspectus est. Ideoq. fuere permul- ti, qui cū illos patrio ac familiari sermone redditos legere ac tractare nondum satis esse existimarent, peregrinas linguas, qui- bus dictatos olim, & conscriptos, vel exactiùs expositos accepe- rant, summa cura, assiduâque diligentia didicere, fontesq. ipsos insignis vtilitatis opinione & spe cōcepta, adiêre: quos nullius pro- fectò, in hac re, impensæ & operæ vnquam pœnituisse, imò omnes pro suo vnumquemque labore magnum operæ pretium ex ea re percepisse, & percepturos eos qui se imitarêtur, prædicasse & cō- firmasse

## P R A E F A T I O.

firmasse constat. Atque ad hanc rationem pertinet studiosa illa, & diligens, ac multis locis apud antiquos Ecclesiasticos auctores obseruatà laus & commendatio linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, ac Græcæ; quæ partim originales (vt ita dicam) partim ad originalium interpretationem & explicationem commodissimè præ cæteris referuntur. neque verò earum linguarum periti solùm, verùm etiam qui eas nondum degustarunt, rem ipsam non ex proprio affectu, sed ex veritate & ratione æstimantes, & vtiliter, & (penè dixerim) necessariò addisci eas & sciri debere suis testimoniis comprobarunt: quippe in quibus sacri libri olim conscripti, ac traditi, & ad nostra vsq. tempora sunt conseruati: & ex quibus duæ genuinæ, siue originales sunt; veteris quidem testamenti, Hebraica; noui verò, aut omni, aut certè maiori ex parte Græca: id quod vltra communem scriptorum omnium sententiam à nobis etiam suo loco oportunè demonstrabitur.

*Conc. Florent.*

*August. de doct. Christ.*

A T V E R O infensissimus ille & sempiternus humani generis hostis, ac diuinæ gloriæ aduersarius impudentissimus, qui sacros cælestis verbi libros, non solùm ad humanæ felicitatis rationes cõstituendas, sed ad suam ipsius malitiam & fraudem detegendam, immanitatem & crudelitatem euitandam & contemnendam, etiam aptissimum, oportunissimùmque instrumentum esse cognouerat (vtpote quibus rerum omnium, quæ hominibus maximè expediunt, cognoscendarum integra continetur summa) omni astu, & calliditate, omni ingenio, & totis viribus illud præter cætera molitus est, vt hãctam commodam hominum generi, tamque sibi, consiliis, studiisque suis incommodam, imò prorsus aduersariam diuinorum beneficiorum rationem, homines ipsi vel omnino ignorarent, vel secus quàm oportebat, atque decebat, vsurparent: namque eos ex vtriusque vitii causa maximis tanti illius boni commoditatibus carituros esse intellexerat.

Quanquam verò complures artes, modósque tentauerit, vt hominibus tanti boni vsum interturbaret; hæc duo tamen inter cætera potissimùm spectauit, vt scilicet omni consilio, indu-

## P R A E F A T I O.

stria, ingenio, conatu & labore cui ad hanc vsq. diem nō pepercit, efficeret vt diuini verbi notitia, fides, & vsus prorsus de terrarum orbe adimeretur, & illius vtilitati paulatim ab hominibus neglectæ (quod mox in promptu est) in tantæ lucis locum, densissimæ caliginis, & ignorantia tenebræ succederent: quibus obsiti homines in varios errores, & grauiss. pericula deducerentur: vt <sup>Psal. 119.</sup> scriptum est: Maledicti qui declinant à mandatis tuis: Et, Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt. Etenim simulac hostis ille diuinum verbum in eum neglectio- nis locum, apud homines deducere potuit, quàm certam ipsis mi- seriam, quantas calamitates importarit, Iosia regis ætatem mox confecuta tempora apertè fatis declarauere.

A L T E R V M verò consilium quod aduersarius instituit, vt cùm diuinum verbum labefactare, & ex orbe terrarum penitus excludere non posset: id enim in æternum duraturum omnino esse & audierat, & non sine dolore cognouerat: (scriptū est enim: In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo) hoc est, vt scilicet, illud saltem curaret, vt sese ipsius verbi interpretem, at- que explicatorem præberet, suæque in ea re diligentia vicarios supponeret ministros mendaces quā plurimos, quos suo ipsius spi- ritu actos, sacrorum librorum interpretationem, cum veritate ipsa ac Spiritus sancti sententia & consilio omnino pugnantem, susci- pere atq. aggredi cogeret. Perspiciebat enim idem omnino detri- mentum, similémque miseriam ferè hominibus, ex utrōuis com- mento afferri: eosdem enim ferè exitus habet, si quis medicina vel non vtatur omnino, vel abutatur. Curauit itaque hominibus per- suadere, primùm, ipsorum res citra diuinum verbum aliis modis, rationibúsque geri & administrari commodissimè posse. Atq. hoc errore gentes olim cunctas & eos omnes qui infideles appellantur, obcæcauit: in quem errorem tamen cùm omnes homines indu- cere non potuerit, eorum mentibus saltē tenebras infundere co- natus est, vt à veritate, & simplici, ac genuina sententia & ratione deductos, vel inutiles & pueriles diuini verbi interpretationes, vel  
falsas,

## P R A E F A T I O.

falsas, impias, erroribus fallaciisque refertas, aut ob varias & inter se pugnantēs commentationes, planè confusas definitiones obtruderet. Atque adeò insitum sibi huiusmodi propositum fuisse, ipse manifestis exemplis, in astutissima & callidissima illa tentatione, à Christo Domino, ad vtilitatem, eruditionem, disciplinamque nostram perlata, & superata, declarauit. Initio enim nulla diuini verbi mentione facta, humanis rationibus & subtilissimis argumentis experiri atq. agere cū illo cœpit: quæ cū diuini verbi auctoritate, à propugnate Christo, excipi, retundi ac dissi- ci videret; alteram à se iam diu munitam, ac sæpius probatā instituit viam. magistrū itaque cū ageret, diuini verbi auctoritate, non ex germana sententia, sed ex sua calliditate & fallacia expo- siti, abusus est.

OMNIA in vniuersum ab illo, ad intercipiendum homi- nibus diuini verbi fructum, & commenta, & consilia, ex huius- modi capitibus, alterum respiciunt. Sacrarum enim Scripturarū studium, simplicis & parum ingeniosæ operæ falsa notatione, ne- glectū aliquando fuisse, quòd ornamentis & subtilitatibus mini- mè decoratū videatur, quas quidē in Philosophica exercitatione inueniri quidā putant, apud quāplures ex ijs qui elegantiores lite- ras excolūt, sæpius deprehēdimus. deinde etiam in scholis & locis publicis, in quibus sapientia coli dicitur, aut nullas, aut certè po- stremas partes, diuinū verbū, quorundā hominū iudicio obtinuis- se; quosdam etiam ab eo, obscuritatis & maximæ difficultatis opi- nione concepta, abhorruisse obseruauimus: ab aliis verò facilitatis, & perspicuitatis, ac nullius omnino negocii persuasione, id in quo multū & temporis & laboris consumi oporteret, indignū habitū esse vidimus. præterea multorū animis eam opinionem infedisse intelleximus, vt, scilicet, antiquarū linguarū ad sacras literas refe- rendum studium, vel nocens & improbandum, vel superuaca- neum & inutile à plerisque existimatum sit. ( neque verò hic vllā studiosorum vel conditionem vel classē notamus, sed quorun- dam hominum indicamus sententias. ) Cætera porrò commenta  
quæ in

## P R A E F A T I O.

quæ in hoc genere frequenter audita lectaque sunt, eò tendunt & spectant omnia, vt diuini verbi imminuta æstimatione, eius quoq. studium paulatim remissum tandẽ negligatur: idq. excogitatis argumentis agitur; quæ cùm primo quidẽ aspectu quandã aut ingenii, aut zeli atque studii speciem habere videantur, re ipsa tamen inania sunt, & eorum, à quibus producuntur, vel veri ignorantem, vel priuatam tantùm ambitionem, æmulationem, contentionemq. arguunt. Illud enim (vt iam alia omittamus) exẽplis omnibus est abundè demõstratum, huiusmodi homines, qui aut diuinorũ librorum dignitati, aut linguarum, in quibus illi conscripti fuerant, vtilitati & studiis obtrectauère, eiusmodi artium & rerum, de quibus sententiam ferebant, ignaros prorsus atque expertes fuisse, non intelligentes (vt D. Pauli vtamur verbis) quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

<sup>1. Timot.</sup>  
L

R V R S V S autem alteram etiam nocendi sequutus viam, maxima quoque hominibus intulit detrimenta, dum cuiusdam, sacrae scripturae legendae vehementis studii simulatione, & ficto quodam fructus, qui ex eius lectione percipi potest, desiderio, mendaces, audacissimosque magistros excitauit, qui ambitione corrupti, inscitia, stultitia & insolentia turgidi, malitia exagitati, vel diuini verbi partem aliquam turbulento ac temerario incepto, contaminare, violare, & peruertere auderent, vel eius propriam & germanam sententiam, mendosis & falsis interpretationibus adiectis perturbarent, atq. à vero argumento & instituto deuii, priuati commodi & studii rationem tantùm haberent: quo quidem in genere alii aliis, alii autem omnibus, nonnulli verò pluribus, quidam paucioribus diuinorum oraculorum partibus, magna tamen omnes & temeritate & impietate iis abusi sunt. Cùmque vnã tantùm sapientiam diuinam, simplicem, sanctam, sibi que constantem semperque similem, repugnantia disensionisque totius expertem, sacra contineant scripta, ab istis tamen, per summum nefas, à certa veritatis ipsius, quam definiunt, ratione, ad suos vniuscuiusque errores, priuatas sectas, opiniones, hæreses,

## P R A E F A T I O.

hæreses, seditionesque detorta sunt, idque tanta incommodatione, ineptitudine & repugnantia, quantam, inter verum & falsum, lucem & tenebras esse constat. Ita per diuersa tempora huiusmodi machinationes aduersarius ille, ad diuinarum scripturarum auctoritatem labefactandam, vel ad verum earum usum hominibus adimendum, est commolitus. Interdum autem hac ratione, interdum verò illa, per sæpe vtraque, ille generis nostri capitalis hostis, honoris diuini obtrectator, mendaciorum parens, hæreson magister, dissidiorum artifex; atque, vt vno verbo eius & naturam & actiones denique omnes concludam, ille, inquam, diabolus, concepta hac fraude, postea hominibus imposuit.

N V L L A verò post hominum memoriam præteritorum temporum ætate, maiorem & nocentiorum hominum animis zizaniorum copiam, in hoc veritatis & sapientiæ aruo, malignus ille spiritus disseminasse deprehenditur, quàm miserrima & turbulentissima hac tempestate, cùm maximam totius Europæ Christianorum partem, variis & grauibus erroribus ductam, atque ab Ecclesiæ Romanæ omnium catholicorum & legitimorum ministrorum capitis communi obseruantia abalienatam, odiis, dissidiis, discordiis, pluribusque sectis & factionibus, quàm linguis olim gentes apud famosam illam Babylonem distinctæ, dissipatæ, & in varias familias, atque adeò in varia studia diductæ fuisse leguntur, miserè distraxerit, & tandem seditionibus penè euertent: ex quo quidem loco ac tempore tot tantasque discordias, contentiones, ac teterrima bella orta, & diutius, quàm par esset, in orbe terrarum grassata esse existimamus.

N E M O prudens ac pius non videt, & magno affectus dolore gemit: nullus est etiam cæterorum, quin sentiat atque experiatur, quo in motu temporum, & in quàm misera rerum conuersione & perturbatione versetur; vt in plerisque Europæ partibus nec vna natio cum alia de religionis rationibus, nec de communi & ciuili vita ac pace consentiat, imò in eadem regione, in eadem ciuitate, atque adeo in vna eademque familia, quanta sit & sententiarum,

## P R A E F A T I O.

tiarum, & studiorū diuersitas à veræ & simplicis pietatis & charitatis Christianæ definitionibus prorsus aliena; quot inter fratres discordiæ, inimicitia, insidiæ, contentiones, pugna, direptiones, exspoliationes, fraudes, latrocinia, terra & mari creata pericula, cæteraque mala & incommoda, quæ hoc loco persequi superuacaneum omnino sit: potissimum, cum aperto & manifesto theatro acta quotidie spectentur. Nec profectò celari dissimularive potest ætatis huius dedecus: de quo utinam leuiora multò, quàm diximus, confiteri satis sit. Maxima enim pars Christianorū, qui non ita pridē summa pace ac tranquillitate fruebantur, atq. vnus fidei concordia & pietatis professione, iisdem Ecclesiasticæ disciplinæ ministeriis, iisdē institutis parebant, eiusdem omnes capitis ductu & prudentia gubernabantur; & in eadem sacramentorū communionē, in eodē instituto, in eadem etiam confessione, & spiritaliū beneficiorum vsu permanebant, & eadem spe viuebāt, nunc miserandis & variis modis obcæcati, omnium inimiciarum exercent artes, non sine summa diuinæ maiestatis offensione, magnòque Christiani nominis opprobrio & dedecore, suòque ipsorum malo, ac detrimento grauissimo. Itaque facile coniicere licet, ex quo, tum ex diuino verbo, tum ex scripturarum lectione, Dei ipsius, ac veræ pietatis cognitionem adepti sumus, nunquam à cōmuni omnium hoste tantum, adeòq. perniciosum & commune incendium inter populos qui Deum norunt, fuisse excitatum.

N E Q V E verò quemquam fugit, quonam artium suarum genere vsus, Christianos homines in hanc fraudem aduersariusegerit, peruersa, videlicet, & malitiosa nimis que indigna sacrorum sermonum & librorum interpretatione, quam, adhibita ad eam rem audacissimorum ministrorum copia, instruxit, multò maiore, quàm ea olim fuerat sacrificulorum, qui Achabi & Iezabelis ætate & impio iussu, aduersus veri numinis præcepta, & pietatis concordiam, contra ius ac fas, falsorum deorum sacrilegos cultus secuti sunt: atque adeò ad eam quam dicimus inferendam calamitatem, eius quæ tum proximè effluxerat ætatis vitio, occasio-

## P R A E F A T I O.

occasionem nactus est, cum diuinarum scripturarum studia inter Christianos nimium remissa, imò sepulta penè, ac disciplinæ ferè omnès aspera & inculta quadam barbarie obductæ essent: hac inquam negligentia humanæ occasione arrepta, ad errores, doctrinâsque falsas edocendas rationem instituit callidissimam. Inprimis enim diuinarum literarum auctoritatem & dignitatem commendatam, atque humanæ sapientiæ, prudentiæ, & iudicio omni (vt par erat) prælatam: postea peruersarum interpretationum & deprauationum exitiali veneno insperfit; cuius vi plurimorum hominum ingenia & iudicia corrumpit, innumerabilesque perdidit animas, ac denique Christianam miserè perturbauit Rempublicam.

A T V E R O vel in ipsis huius perturbationis initiis, horum hominum machinationes, quæ, diuini verbi deprauato vsu, prætendebantur, probissimorum, pientissimorum, & veritatis, pacis atque concordia studiosissimorum virorum diligentia & opera, veris, certis, atque validissimis, ex eodem verbo depromptis telis, ictibusque impugnari, labefactari, ac dirui cœperant. (illa enim, ad mendacium, mendaciorumque Principis ipsius commenta omnia redarguenda, euertenda, atque diluenda, aptissima & validissima arma sunt.) Igitur cum hæc diuinæ veritatis ratio aduersariis ex animi sententia non succederet, alius illicò dolus adhibitus est, excogitata aduersus Latinas interpretationes, quibus iã tot seculis ad hanc vsq. diem catholica Ecclesia vsa fuerat, cõtentiosissima reprehensione, atq. aduersus eam præcipuè, quæ propter singularem, inter cæteras, auctoritatem, antiquumque vsu, Vulgata, siue Communis appellata, & à plerisque Diuo Hieronymo adscripta est. His autem impudenter atque insolenter reprehensis ac repudiatis, aliæ substituebantur interpretationes, ex propria magis auctorum, quàm, ex diuini spiritus sententia, aut ex linguarum ipsarum examinata, diligentique inuestigatione profectæ: in quibus plurima loca ad suas ipsorum factiones & contentiones promouendas consultò deprauata & corrupta

## P R A E F A T I O.

corrupta deprehendimus, quæ tamen illi nunquam existimassent fore, ut à nostris deprehēderentur, quos à linguarum studio & cognitione prorsus alienos, & eos, qui nullum ea in re laborem consumere vellent, omnino credebant: atque peruerso hoc adducti consilio, Babylonicum illud opus vrgentes, ad finem perducere contendebant, ut saltem nomen aliquod sibi quærerent antequam disperderentur sub cælo. Itaque elati insolentia quadam & audacia, qua ne ipsis quidem gigantibus cedunt, veritatem impugnare, & cæli lucisque puram simplicitatem & integritatem, salebrosis illis ac præruptis interpretationū rupibus, & montibus eo deductis, & admotis, violare & corrumpere moliti sunt. Sed tamen hæc non minori negotio, quam cætera pessimarum rerum instituta initia, contrarios omnino illorum consiliis exitus habuere. Illud enim solum effecerunt, ut nostris ad oppugnandum animi adderētur, qui ad linguarū capessenda studia incitati, labore & diligentia illis & cultiores, & longè doctiores, atq. adeò veritatis acerrimi propugnatores euaserunt. Iam enim extiterunt quàmplurimi catholici viri, sacrarū linguarū peritissimi, à quibus aduersarii, de illo suarum interpretationum præsidio, veritatis, & germanæ sententiæ demonstratione, & cōstanti assertione deiecti, & manifestæ tum linguarum imperitiæ, tum etiam fraudis & deprauationis conuicti sunt: quandoquidē nullum caput eorū quæ vel ad pietatem & fidem, vel ad morum probitatē & integritatem informandā & instituendā facere, & spectare possunt, in antiquioribus linguis repertum est, quod in Latinis veterum interpretationibus non abundè cōtineretur. Quanquā enim in oratione, ac sermonis serie, dicendi vario genere, verborūmq. numero, alia sit huius, alia verò illius linguæ ratio; rerū tamē & sententiarum pōdus, ad pietatem docendam idem ab omnibus afferri comprobatur. qua in re inuestigāda, inueniēda, tractāda & iudicanda multò profectò plura & elegantiora illarū linguarū mysteria à nostris obiter verè indicata & aperta sunt, quā ab istis, magno labore vel cognita & celata, vel mentiendi studio cōficta & enuntiata fuerint. Id quod facile

docetur

## P R A E F A T I O.

docetur & cōfirmatur ex frequentibus & manifestis exēplis apud catholicos, & Romanæ Ecclesiæ studiosos auctores, linguarū peritos, qui hactenus extitere, & indies etiā plures, cū summa Christianæ totius Reip. vtilitate, & laude, doctissima scripta in lucem proferēt. Hoc loco diuinæ dignitatis ac gloriæ callidissimus obtrectator, quamuis, quod moliebatur, persæpe expertus sit; efficere tamen non potuit, vt antiquarum & receptarum interpretationum auctoritas & fides ab aduersariis infirmaretur, aut eius studium parui fieret; quasi verò eo studio homines ad pietatem aut parum aut nihil omnino incitarentur; quinimo eius ope ad schismata & errores amplectendos conuolarent. Etenim huiusmodi antiquarum linguarum cognitio à nonnullis (vt diximus) despici, atque negligi aliquando cœpit, qui zelo magis, quàm rectè instituta ratione, de hac re vel familiari sermone, vel publicis disputationibus, vel scriptis etiam libris agentes, ea magis improbabant, quæ minus cognouerant. fuit hæc profectò maxima & astutissima communis hostis calliditas ad vtrarūmq. partiū fouendā discordiā, confusionēmq. religionū promouendā, auferendūmq. diuinarum scripturarū vsum, vt scilicet moliretur, vt ab alteris interpretationū Latinarū fides; ab alteris verò antiquarū linguarum germana & vera dignitas imminueretur, & magna proinde, præter veritatis confirmationē, vtilitas quæ ex eis percipitur, negligeretur.

A T V E R O illustrator ille mentium diuinus Spiritus, qui ex supremis sedibus, vt potentissimus Aquilo spirans, errores omnes arguit, ac detegit, & nubes veritatis luci obiectas dissipat, huiusmodi temporis caliginē, quæ scripturarū sacrarū vtilitatem & splendore hominibus absconditū obscurabant, validissimè discussit. Nam & ille plurimos ex catholicæ Ecclesiæ filiis ad linguarū capessenda studia, illarūmq. præsidio aduersariorū diruēdas moles, nostrarūmq. interpretationum fidē & integritatē defendendam & piissimis ac doctissimis scriptis asserendā animauit, eandēmq. rem Ecclesiasticis sanctionibus, & grauissima Conciliorū auctoritate cōfirmavit: tū interpretationibus receptis & approbatis, tum

## P R A E F A T I O.

sacrarum linguarum commendato studio, quarum utilitati & dignitati nullo tempore ab Ecclesia detractum, sed perpetuò potius consultum, illustribusque nominibus & titulis cum in veteri Testamento Hebraicæ veritatis; tum in nouo Græci textus plurimum tributum, cæterisque linguis & earum explicationibus pro cuiusque & dignitatis & vsu ratione fuit prospectum.

Q V O N I A M verò à sceleratissima illa hostis malitia, & rabiosa nocendi cupiditate, ad quoduis impium facinus perpetrandum, nullam occasionem prætermittendam fore, ex renouatis per sæpe exemplis arguere non immeritò possumus; suspicari valde, vel potius certò scire oportuit, hac turbulentissima tempestate eiusmodi insolentissimos ministros illi inueniendos atque excitandos esse; quibus, cum falsarum interpretationum consilium ex animi sententia non succederet; illico ad diuinam scripturam, in quouis antiquarum linguarum genere deprauandam & corrumpendam, audacia & temeritas adderetur, atque Hebraicam veritatem, & Græcam lectionem, quò sua instituta & studia, falsaque dogmata obtruderent, & vtcunque tuerentur, contaminare & mutare nulla religio esset: quippe quibus nullum iam, in sacrorum librorum simplici & germana lectione, fundamentum, nulla antiquarum linguarum cognitio, quam se adeptos existimabant, amplius superesset.

A T Q V I non iniuria huiusmodi periculi & maleficii suspicio in eos cadere potuit, qui dum altero illo oppugnationis genere, quod quidem vsui sibi fore sperabant, aduersus veritatem magno impetu experiri in animo habebant; non nisi validissimis & certissimis linguarum ipsarum telis propulsati destiterunt. Vt enim in cæteris omnibus rebus, omnes, quod aiunt, neruos intendebant, vt suum illud ædificium perficerent; ita in hoc etiam genere nihil non experturi erant, quò veritatem ipsam contaminari, fraudari, atque imminui posse arbitrarentur; maxime verò in Hebraica lingua, cuius quidem exacta interpretatio cum vulgatissimis & frequentissimis nostri seculi erroribus  
& fal-

## P R A E F A T I O.

• & falsis dogmatibus magnopere pugnat. Neque verò ab huiusmodi vel consiliis, vel inceptis, aut timore, aut pudore, aut religione vlla deterreri potuissent perfidi hi mendaciorum auctores & assertores, quibus nec Dei timor, nec hominum reuerentia ob oculos versatur, quemadmodum ex ipsis eorum impiis conatibus & studiis ac nefario euentu apertissimè arguitur: potissimū verò in tanta diuinarum & humanarum rerū perturbatione, atq. in turbulentissimo hoc Ecclesiae Christianae statu, luctuosissimoque tempore, quo quidem & charitas & omnis ferè pietas ab hominū mentibus discessit. Nam, qui huiusmodi sunt, nec dilectionis ducuntur, nec timoris coërcentur spiritu, tantū ambitionis propriae impetu, ac mendaciorum patris spiritu concitati aguntur. Etenim apud nonnulli auctores legimus, huius errorum spiritus impulsu, aut fraude, quosdam olim ex Iudæorum gente, eò vel insolentiae vel insipientiae deuenisse, vt Christianae Ecclesiae initio, nonnulla verba immutarint quae suam illam oppugnandae Christianae veritatis contentionem omnino interfingere possent: verum huiusmodi ab illis contaminata loca rarissima fuere, & in nostrorum scriptorum libris, tum etiam in ipsorum Iudæorum excusis & manu scriptis exemplaribus omnia ferè notata atque indicata sunt. Nam tametsi vel hominum illorum fraude, vel librariorum inscitia, vel temporum iniuria nonnulla in iis, quibus vtimur, Hebraicis libris mutatio facta fuerit; nullum tamen vel verbum, nullum item elementum, vel punctum olim fuisse commemoratur, quod in locupletissimo illo thesauro, quem Mazzoreth appellant, asseruatum non reperiatur. In eo enim, tanquam in sacra & fida quadam custodia, summa diligentia, & magno studio constituta, antiquae lectionis reliquiae, monumenta, indicia, vestigia, exemplaq. omnia continentur, & ratio conferendae veteris ac nouae lectionis ostenditur: ex quibus quidē simul collatis, certa quaedam via extat, ad cuius praescriptam normam sacra mysteria indicari possunt. cuius rei exempla nos, suo loco, in hoc opere aliquando, & aliàs etiā, Deo iuuante, apponemus.

## P R A E F A T I O .

Q V A M V I S autem nullam omnino suspensionem habere-  
mus, fore vt religionis Catholicæ aduersarii, qui nostris tempori-  
bus Ecclesiæ pacem turbauère, scripturarum loca vllà conten-  
tionis caussa mutarent; nihilominus tamen, diuini verbi integri-  
tatem & sanctitatem, in reddendis sacræ scripturæ libris, tum  
verò maximè in ipsis exemplaribus, & linguis, quæ interpretatio-  
num examen continent, summo studio procurari, & sanctam te-  
ctam conseruari oporteret: vt hoc modo & pietatis studium erga  
Deum, & dignum erga Christianam Rempublicam præstaretur  
officium: quod vnà secum illam trahit cautionem, ne integrum  
vnquam sit hæreticorum audaciæ nefaria fraude sacræ scripturæ  
loca corrumpere, & ad suos detorquere errores: quod alioquin  
fortasse tentare veriti non essent, idq. tot in locis, quot errores sus-  
ciperent tuendos, vt nullus finis eorum pertinaciæ statui posset.

C Æ T E R V M veritatis ille pater, & piorum omniũ protector,  
Ecclesiæ Catholicæ illustrator, verbique sui assertor Deus, ho-  
dierno die etiam effecit, ne res tanti ponderis ac momenti ab illo  
malorum omnium auctore, illiusque ministris, in id, quod ex-  
pectari ac timeri poterat, discrimen, adduceretur; eamque men-  
tem P H I L I P P O I I. Catholico Hispaniarum Regi, &  
Principi potentissimo, & Christianæ pietatis studiosissimo, inie-  
cit, vt inter quamplurima consilia, quæ pietatis, & diuini cultus,  
publicæ vtilitatis sacrosanctæ Ecclesiæ, ac denique totius Rei-  
publ. Christianæ gratia, ab ipso prudentissimè inita, fortissimè  
suscepta, felicissimèque sunt peracta, de sacris etiam libris, anti-  
quis linguis, & earum optimis interpretationibus, qua fieri potest  
diligentia, inter se collatis, excudēdis, is etiã deliberaret; vtpote, cui  
inter plurimas ad comunẽ salutem, & tranquillitatẽ multarum  
gentiũ, & nationum à se gubernandarũ diuinitus datas, & fidelissi-  
mè susceptas curas, vnum pietatis ac religionis puræ studium, præ-  
cipuum, & maximum, atque ad omnem publicam rem stabi-  
liendam firmissimum fundamentum esse constat. Cui etiam in  
comperto est, aptissimam rationem qua ad religionem sanctissi-  
mè

## P R A E F A T I O.

•mè colendam homines perduci possint, in diuinorum oraculo-  
 rum cognitione, eorúmque legitima obseruatione contineri: id-  
 que ei, & piorum hominum iudiciis & omnium ætatum exem-  
 plis confirmatum est. Igitur & à doctissimis, & peritissimis viris,  
 quales in Hispaniis quamplurimi ex publicis Academiis, & ex sa-  
 cræ religionis Magistratibus, censores & iudices, atque adeò ex  
 omni Ecclesiastico ordine ministri conspiciuntur, ad tantam rem  
 deliberandam adhibitis; communi omnium sententia confirma-  
 tum est huiusmodi Regis consilium, non tanquam vtile tan-  
 tum, sed etiam veluti planè necessarium ac diuinum com-  
 probari, & omnium suffragiis postulari, omniúmque piorum  
 studio, vt expleretur, orari oportere. Id quod Rex ipse libentissi-  
 mè susceptum, maturè exsequi atque perficere instituit: præ-  
 fertim verò, cùm eorum omnium, quæ ad eam rem parandam  
 & oportuna, ac etiam necessaria erant, magnam copiam a-  
 pud se esse intelligeret: seque iis viris, qui tanto huic operi & ex-  
 ordiendo, expoliendo, & omnibus suis numeris, & partibus ab-  
 soluendo præesse possent, quales ipse rei literariæ amantissimus  
 quamplures continuò fouet, omnino nõ carere cõspiceret. Tantũ  
 igitur Catholici Regis cõsilio, studio, auctoritate atq. benignitate  
 præstitum est, vt operis huius admiranda moles, maximis rerum  
 difficultatibus superatis, extructa, & ad publicum Catholicæ Ec-  
 clesiæ vsum, æternúmque Christianæ veritatis monumentum, sta-  
 bilita & exposita denique fuerit: cuius inspectionẽ, nulli Christia-  
 næ pietatis studioso non gratissimam, vtilissimámque fore arbi-  
 tramur; cùm propter eximiam omnis generis characterum ele-  
 gantiam, & egregiam optimi & celeberrimi Typographi operam;  
 tum verò maximè propter summam integræ, & incorruptæ le-  
 ctionis perfectionem, quam, præter assiduam doctissimorum,  
 & linguarum omnium peritissimorum hominum diligentiam,  
 variorum quoque & correctissimorum exemplarium, Romano-  
 rum videlicet, Venetorum, Constantinopolitanorum, & Germa-  
 norũ collatio nobis præstitit: Complutensibus verò potissimùm

## P R A E F A T I O.

hac in parte vsi sumus, quæ quidē à celebratissimo ac pientissimo viro Francisco Ximenio Toletano Archiepiscopo, Hispan. præfide summo, S. R. E. Cardinali, magno studio, incredibili sumptu, insigni diligentia, vtilissimóque euentu edita quondam fuerant, & apud doctos homines magno in pretio habita: quæ tamen, quia propter miram eorum paucitatem & raritatem desiderabantur, hoc in opere non modò instaurata, sed multis etiam in partibus aucta, integrata, locupletata, magno etiam appositissimóque rerum & verborum apparatu exornata sunt. Nam præter excellentem formarum, chartæ, & characterum præstantiam: integras etiam Chaldaicas, in veteri testamento, paraphrases, & Syriacæ, in nouo, lectionis libros, eosdémque diligenti studio & censura examinatos, & commoda latinarum interpretationum copia instructos, opus hoc Complutensibus Bibliis addit; & quod ad lectionis & sententiarum distinctionem, explicationémque plurimùm confert, accentus omnes, Hebraicósq; apices, (quos nunquam perire Christus patietur) diligentissimè obseruatos adiungit. Insignem præterea rerum & verborum supellectilem aliàs variis codicibus dispersam, hoc vnum opus continet, quæ magis vsu percipi, quàm oratione indicari possunt. His accedunt variarum, in omnibus linguis, lectionum proposita exempla: quæ quidem quot, & quantos lectoribus fructus allatura sint, nemo facilè æstimare potest. Sunt præterea integra Hebraica Biblia, nouúmque Testamentum Græcum, cum Latinis ad verbum interpretationibus, maiori, quàm vnquam antea, diligentia & sedulitate elaboratis, quæ, præterquam quod ad sententiarum cognoscenda mysteria plurimùm adiumentum afferunt, Latinum hominem Hebraicã & Græcam; Græcum verò & Hebraicum Latinam linguam sine præceptore, ac nullo penè negotio docere possunt. Addita præterea sunt oportunis locis difficiliorum verborum Hebraicorum, Græcorum & Syriacorum themata, quas radices Hebræi dicunt. Postremùm verò & vtilissimùm illud volumen adiungitur, quod, quia multarum, & ad familiares

## P R A E F A T I O.

miliares diuini verbi explicationes, commodissimarum rerum copiosam, ac multiplicem suppeditat materiam, SACRORVM LIBRORVM APPARATVM inscripsimus; quo in opere dictionaria, obseruationes, arcanorum sermonum interpretationes, multaque alia cognitu dignissima continentur. Atq. hæc quidem omnia magnæ sacrarum literarum studiosis, vtilitatis magnoque vsui Catholicæ Ecclesiæ futura à PHILIPPO Catholico Rege curata; eiusque tum auctoritate ac dignitate, tum liberalitate Regia expedita, & insigni rerum omnium diuersitate ac elegantia insignita, ad optimum & felicissimum exitum, diuinæ prouidentiae summo beneficio, tandem perducta sunt. Etenim tantum opus, quod maximos sumptus, insignem artificum diligentiam, exemplarium oportunam copiam, operarum frequentiam assiduam, multorumque iudiciorum sententias ex variis Europæ partibus collectas, exigebat, sine præsentis Dei numine & auxilio effici & absolui non potuit: adeo vt ipsam tot rerum atq. personarum vnanime, perpetuam & indefessam facultatem, non tam hominum opera & studio comparatam, quam diuinitus oblatam & concessam fuisse palam sit fatendum; opusque ipsum vt argumento & re plane diuinum est, ita etiam vt hoc modo, atq. hoc tempore, huius Regis tanto studio ederetur, ex diuino consilio profectum fuisse, dubitandum minimè sit: quod quidem vel ex eo constat, quod Pius V. P. M. qui hodierno die Catholicæ Ecclesiæ pro Christo sanctissimè præest, vbi hoc præclarissimum & vtilissimum opus, Regis studio & sumptu Antuerpiæ institutum, inchoatumque intellexisset, misso à se ad Albanum Ducem, Belgii præfectum, gratulationis & honoris causa, in tantæ victoriæ ab eo reportatæ gratiam, legato, præter alia in mandatis dederit, vt opus ipsum, operisque promotores omnes fausto & grato Sanctitatis suæ nomine, nutu, assensu atque auspiciis, benedictione etiam adiuncta, prosequeretur: qua quidem re nulla alia sub cælo vel Regi ipsi gratior, vel Regiis hominibus, in eo opere, continuis laboribus, augendo & expoliendo incendendis aut aptior, aut magis accommodata esse potuit.

## P R A E F A T I O.

tuit. Quamobrem omnium bonorum, totiúsque felicitatis auctori Deo summa & eximia gratulatio inprimis facienda est, qui Regi, tantis publicarum rerum curis distento, & grauissimis negotiis occupato, eam mentem iniecit, vt præter cætera pietatis, prudentiæ, & communis vtilitatis studiosissima consilia, quibus abundat; hoc etiam diuini verbi colendi, asserendi, atque exornandi studium ad cæteras eius animi dotes adderetur, atque hac ratione optimè de vniuersa Christianorum Ecclesia mereretur. Deinde etiam communia & assidua vota sunt facienda, vt is erga verbi sui studium atque legitimum cultum omnibus totius orbis hominibus spiritus afferatur; isque addatur & confirmetur animus, qui ad numinis sui laudem & gloriam amplificandam, atque ad æternæ salutis vsum percipiendum sit ipsis aptissimus.